

Latina

Preces Utilissimae

Signum Crucis

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.
Amen.

Symbolum Apostolorum

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae. Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Pater Noster (Oratio Dominicalis)

Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.

Ave Maria (Salutatio angelica)

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Iesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, et in hora mortis nostrae. Amen.

Gloria Patri (Doxologia minor)

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio Fatimae

Nostris, O Iesu, debitis indulge. Erue nos ab ignibus inferni. Caelique portas universis pande, miseris praesertim. Amen.

Salve Regina

Salve Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus exsules filii Hevae. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia, ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria. Amen.

Pro Defunctis

V. Requiem aeternam dona ei(s), Domine.

R. Et lux perpetua luceat ei(s).

V. Requiesca(n)t in pace.

R. Amen.

V. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

Invocatio Sanctorum

(*pro Sancto uno*): Sancte *N.*, ora pro nobis.

(*pro plurimis*): Sancti *N.* et *N.*, orate pro nobis.

(*pro Sancta una*): Sancta *N.*, ora pro nobis.

(*pro plurimis feminis*): Sanctae *N.* et *N.*, orate pro nobis.

In terminatione precum

V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

R. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.